



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

3. Vltima Argumenta adversaria solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quaest. IX. Quid sit relatio vt sic, &c. 825

potest separari relatio, ita vt maneat sine subiecto: ergo non est res; sed modus, quia nullum praedicatum reperitur, in quo distinguatur modus a re, nisi in hoc, quod res potest conservari divinitus sine subiecto, vel alia entitate a se distincta realiter; modus autem non potest illo modo separatus conservari, cuius est modus.

16 Ultimo relatio praedicamentalis consistit in actuali exercitio inferendi fundamentum ad terminum; sed modus consistit, in actuali exercitio: ergo relatio est modus, & non res: maior est certa, quia relatio est respectus, ordo, seu referentia fundamenti ad terminum; sed respectus, ordo, seu ordinatio, & referentia sunt actuale exercitium: ergo relatio cuius esse consistit in respectu, seu respicientia, ordine, seu ordinatione, & in referentia consistit in actuali exercitio. Minor illa sic probatur, quia omnis potentia habet suum actuale exercitium; sed posse respicere, posse ordinare, & posse referre sunt potentiae: ergo habent suum actuale exercitium; atqui non potest esse aliud actuale exercitium posse respicere, nisi respicere, seu respicientia, aut respectus, & nullum aliud actuale exercitium potest assignari posse ordinare, nisi ordinatio: ergo ordinatio, referentia, & respectus, seu relatio consistit in actuali exercitio.

17 Vergetur, quia propria, & accommodata ratio productionis modi est per resultantiam, vt videre est in figura, vbi, &c. sed relatio producitur per resultantiam, vt patet ex illo axioma posito fundamento, & termino resultat relatio; ergo relatio est modus.

18 Tandem confirmatur, non est necessarium ad hoc vt exerceat munus relationis, quod consistit in referre, vt sit res: sed solum sufficit vt sit modus; ergo debet esse talis, antecedens sic probatur, quia relatio habet suum esse in actuali exercitio constitutum vt supra probavi, non enim aliud munus habet relatio, vt patet ex Aristotele, nisi habere totum suum esse ad terminum pene recipiendo: ergo habet rationem modi, & rei.

SECTIO III.

Ultima argumenta adversaria solvuntur.

19 Ad locum Divi Thomae Respondeo minime ex verbis Angelici Doctoris posse colligi, si recte intelligantur relationem esse rem; nam relationem ipsam, nunquam dixit esse aliam rem; sed fundamentum nomine rei appellavit, quod nos libenter admittimus, certum enim est fundamentum relationis esse rem distinctam a modo relationis, quod clarissime patet ex illius verbis, quae sic se habent, nam id quod invenitur in creatura, praeter id quod continetur sub significatione nominis relati est alia res, hoc est praeter relationem, vel praeter id quod nomine relationis significamus, quod nihil aliud est quam fundamentum relationis, est alia res a relatione, ac si diceret fundamentum est distincta res a relatione quae modus est.

Ecce quomodo ex loco Divi Thomae male intellecto ab adversariis, ideoque pro se adducto, nostra confirmatur, ac roboratur sententia.

Ad secundum nego maiorem, relatio enim non est accidens reale; sed modus accidentalis, realis, & in hoc sensu concedimus suo modo inherere relationem, seu adherere in fundamento, sicut inest figura quantitati, & vbi praesenti. Deinde negatur illa secunda consequentia, ergo realiter, &c. ad probationem illius nego inexistenciam seu inherenciam accidentis distinguui realiter ab existentia substantiae, nam inherencia est modus, & modus non distinguuitur a re cuius est modus realiter; si autem pro inexistencia accidentis intelligat adversarius existentiam realem accidentis concedo realiter distinguui a substantia, ex quo non sequitur relationem distinguui realiter, quia non habet existentiam realem, sed modalem.

Ad tertium concedo antecedens, & consequens; Deinde negatur consequentia illa: ergo distinguuntur, &c. a principio usque ad finem, falsa est, & vt talis refellitur.

QVÆSTIO IX.

Quid sit relatio vt sic, & quomodo definiatur.

DATA opera in hunc locum remissi definitionem relationis post tota quaestiones agitatae, vt per particulas illius quasi per cristallinas, aut oniechinas crustas non impactu vngue perlabamur, recte enim declaratio essentiae relationis, a recta dictarum quaestionum resolutione pendet, quibus enodatis, enucleatisque, facile enodabitur definitio relationis, quae vel potest sumi vniuersalissime, prout comprehendit relationem praedicamentalem, & transcendentalem, & secundum dici, vel prout solum hoc praedicamentum constituit vniuersalissime sumpta, sic definitur ab Aristotele in hoc praedicamento, & lib. 5. metaphysicae, quae potius ex mente antiquorum Philosophorum, quam ex propria videtur proficisci, & vt ait Averroes ex mente Platonis ad aliquid talia dicuntur quaecunque haec ipsa quae sunt aliorum esse dicuntur, quomodolibet alter ad alterum, id est relativa sunt, quae habent suum esse ad aliud, aut tanquam ad pure terminum, vt pater respicit genitum, aut quomodolibet alter ad alterum, id est non solum vt pure terminum, sed quocunque alio modo ad aliud refertur, sive tanquam ad subiectum, sive tanquam ad obiectum, sive tanquam ad effectum causam, vt accidens dicit ordinem ad aliud tanquam ad subiectum habitus, tanquam ad obiectum creatura ad Deum, tanquam ad causam efficientem a qua producitur.

Item illa particula quomodolibet indicat hic definiti non solum propriam habitudinem; sed etiam connexionem vnius cum altero explicatam per modum relationis, quae quomodocunque relatio dicitur.

Sic definita relatio vniuersaliter dividitur in relationem